

GERMANIA.

INFERIOR.

EXhibet hæc Tabula non totam Germaniam inferiorem, sed huius duntaxat partem, eam nempe, quam Philippus Caroli .V. Imperatoris filius in ea hæreditario iure possidet. Continetque has septemdecim Ditiones; Ducatum Brabantia, Limburgi, Lutzenburgi, & Geldria; Comitatum Flandria, Artesia, Hannonia, Hollandia, Selandia, Namurci, & Zutphania; Marchionatum Sacri Imperij; Dominia Frisia, Mechlinia, Ultraiectensis, Transfalanæ, & Groeningæ. Regiones, si quæ alia, cultissimæ, ut in quibus (teste Lud. Guicciardino) numerantur 208. Vrbes, muris, aggeribus, aut fossis munitæ, & plusquam 6300. Pagi templis turrigeris insigniti, præter villas, castella, & arces, quorum in his non exiguus est numerus. Habetque hic tractus (principium sumendo ab Orientali maritima parte, ad fluuium Amisum (vulgo Eems) huius ad Oceanum terminus) hos Principes vicinos: Comitem Frisia Orientalis; Episcopum Monasteriensem; Ducem Cliuia; Archiepiscopum Coloniensem, & Treuirensis; & demum Regem Gallia vsque in oram maritimam ad flumen Aa, quod huius terminus est ad Occidentem. Aër & si in eo plus æquò humidus videri potest, incolarum tamen sanitati, nec non digestionem admodum conducere putatur, ut qui homines longæuos, præcipuè in Campania Brabantia parte, nutrit. Fluminibus irriguis vndique perlabitur. Nemoribus syluisque, quantum voluptati aut venationi satis est, aut Regionis decor exigit, sparsim ornatur. Montes non habet, nisi circa Lutzenburgum & Namurcum; nec non in Hannonia, vbi vsquam collibus attumulatur. Fertilis est frumenti, & fructuum omnis generis; etiam herbarum, quarum in medicis vsus est. Nonnullis tamen in locis quos incolæ ob ericæ herbæ inibi frequentiam, Ericeta vocant, veluti sunt Brabantia Campania, &c. horum minus ferax; sed huiusmodi Ericeta mirum quàm læta pascua pecoribus præbeant, adèd ut nusquam gentium (etiam vicinarum Regionum testimoniis) carnes gustum suauiore habent. Animalia humano generi noxia non producit. Has omnes Regiones descriptas, exteri ferè omnes (maxima ignorantia, partem pro toto accipientes) vno nomine Flandriam, incolasque Flandros indigetant, quum Flandria pars tantum sit, aut vna harum Regionum; vti in Tabula videre est. Proinde hi non minus errant, quàm illi, qui Hispaniam designaturi, Castellam, Andalusiam, aut aliam huius Regionis Prouinciam loquantur: Aut de Italia loquuturi Tusciam aut Calabriam, &c. nominent: vel de vniuerso Gallia Regno dicturi, Normandiam, aut. &c. tantum sonent; atque eo modo de tota Hispania, Italia, aut Gallia dixisse videri velint. Has Regiones suis doctissimis scriptis describere aut elucidare conati sunt Iohannes Goropius Becanus in suis Becceselanis; Petrus Diueus Louaniensis; Hubertus Thomas Leodius. Iohannes Caluetus Stella Hispanus, scripsit sua lingua Itinerarium Philippi Hispaniarum Regis per omnes has Regiones; in quo multa lectu digna, quæ ad cognitionem harum Regionum & Ciuitatum facere videntur, inseruit. Qui plura, aut pleniorum harum notitiam sibi comparare desiderat, Ludouicum Guicciardinum legat, & non legisse, sed oculis eas perlustrasse sibi persuadebit.

OCCI
DENIS.

SEPT.
ENTRIO.
NORD.

DESCRIP
TIO GERMANIAE INFERIORIS.



MERT.
DIES.

ORI.
DIES.

TRIP
TAE INFERIORIS

